

GUTTERWITZ
MESSENIUS, JOHANNES
SVENO NICOLAI, GUDHEMIUS

**Theoremata physiomagica, : qvæ in celebri
Sveonvm Academia sexto calendarum
februarij, anno sexcentesimo supra
millesimum decimum / sub protectione
Johannis Messenii ... ; Sveno Nicolai
Gudhemius ...**

Holmiæ
1610

EOD – Miljoner böcker bara en knapptryckning bort. I mer än 10 europeiska länder!



Tack för att du väljer EOD!

Europeiska bibliotek har miljontals böcker från 1400-till 1900-talet i sina samlingar. Alla dessa böcker går nu att få som e-böcker – de är bara ett musklick bort. Sök i katalogen från något av biblioteken i eBooks on Demand- nätverket (EOD) och beställ boken som e-bok – tillgängligt från hela världen, 24 timmar per dag och 7 dagar i veckan. Boken digitaliseras och blir tillgänglig för dig som e-bok.

EOD bokens fördelar!

- Få samma utseende och känsla som med originalet!
- Använd ditt standardprogram för att läsa boken på skärmen, zooma och navigera genom boken.
- Skriv ut enstaka sidor eller hela boken.
- *Sök:* Använd fulltextsökning för enskilda fraser.
- *Klipp & klistra:* Kopiera bilder och delar av texten till andra applikationer (t.ex. ordbehandlingsprogram).

Villkor för användning

Genom att använda EOD-tjänsten accepterar du de villkor som ställs av biblioteket som äger den aktuella boken. EOD erbjuder åtkomst till digitaliserade dokument enbart för personlig, icke-kommersiell användning. För annan användning vänligen kontakta biblioteket.

- Villkoren på svenska: <http://books2ebooks.eu/odm/html/nls/sv/agb.html>

Fler e-böcker

Redan nu erbjuder 30 bibliotek från 12 europeiska länder denna service.

Mer information finns tillgängliga via <http://books2ebooks.eu>

Dress.
reppcata
(150.)

THEOREMATA

PHYSIOMAGICA,

QVÆ IN CELEBRI
SVEONVM ACADEMIA SEXTO

Calendarum Februarij, anno Sexcentesi.

mo supra millesimum

Decimum.

Sub protectione

CLARISSIMI, DOCTIS-

SIMI QVE VIRI IOHANNIS

MESSENI, Philosophiæ Doctoris,

Poëtæ Cæsarei, atq; Politices, &

I. V. ibidem Profeforis

ordinarij.

ERVDITVS IUVENIS SVENO NICO,

LAI Gudhemius, Philosophiæ L. L. atq;

Theologiæ studiosus, ad publicam

disertationem proposuit

& propugnavit.

H O L M I Æ

Ex Chalcographiâ Gutteruicianâ

Anno salutis

CIO.

IOC.

X.

(1610.)

D. D. C. Q.
HAS MAGIÆ NATVRALIS DI-
SQUISITIONES, NON MINVS VERAS
quam mortalibus, sub plagâ Aquilonis vitam ducen-
tibus, & mille superstitionum discrimi-
nibus expolitis, cognitio-
ne necessarias.

MVLTIPlici ERVDITIONE,
& rerum experientiâ præ-
claris viris

Dno PAVLO PAVLI, Pastori Lodisiano.

Dno SVENONI SVENONIS, Ecclesiastæ
Scarino.

Dno LAVRENTIO ANDREÆ, ibidem
Gymnasiarchæ.

Dno ERICO MAGNI, Pastori Dalensf.

Dno IONÆ ESBERNI, Theolognostæ
Scarenf.

Dno ANDREÆ LAVRENTII, Pastori
Timmelhedino.

Dno IOANNI HAQVINI, Pastori
Gudhemensf.

Mœcenatibus & fautoribus suis perpetuâ
veneratione colendis

officiosissimè

SVENO NICOLAI
Gudhemius.

*Mecenatibus suis
salutem & felicitatem sempiternam.*



Um nemo mortalium eò absurdis
tatis unquam descenderit, ut bene-
factoribus, & præceptoribus grati-
tudinem, quam posset animus cli-
entis, & discipuli maximam des-
negaret rependendam, ingenuè
protestor me plurimum observan-
tiae, atq; gratitudinis V. V. R. R. debere; Quippè
vestrum nonnulli liberalem studijs meis dexteram por-
rexerunt; nonnulli ab ipsis propemodùm incunabilis,
artibus imbuerunt, quàm diligentissimè liberalibus;
nonnulli deniq; utroq; benevolentiae argumento me
immerentem ultrò cumularunt; quorum sanè benefi-
ciorum memoriam, nulla unquam ignorantia oblite-
ratura: Hoc autem constans, perpesq; animi mei pro-
positum, ut vestris R. R. patriæq; innotescat, univers-
sæ, hæc Theoremata Physiologica, vobis do, dico,
consecroq; eà quidem lege, ut sint duntaxat velut hy-
potheca uberioris, atq; evidentioris observantiae à me
progressu temporis, vestris R. R. alacriter exhibendæ.
Interim autè obnixè postulo, quatenus pristino amoris
amplexu fovearis, ut vestris feliciter auspicijs inchoa-
tum eruditionis curriculum fausto imprimis pede mihi li-
ceat emetiri, in vestrum singulare Encomium, patriæ
emolumentum, religionis Christianæ incrementum,
& Dei gloriã, cui vos in plurimos, eosq; felicissimos an-
nos, cupio commendatos. Vbsalix promercalibus
Disanis, Anno salutis restauratæ M. DC. X.

V. V. R. R.

observantissimus cliens

SVENO
NICOLAI Gudhemius

Benevolo Lectori salutem.



Vm universa hominum progenies scire desideret attestante philosophorum principe Aristotele, potissimum curiosam ingenij aciem ad intuendum penitus naturæ sacra-
ria, atq; ex secretiore illo rerum parentis gremio arca-
na quævis in lucem publicam producenda, convertit;
verum operis difficultate prævalente, ne spe novitatis
curiositas fraudetur, tererrimam Dæmonis operam non
pauci mortalium implorare, consultissimum arbitran-
tur; quam proindè quædam Cocijti amplissimam, con-
iuratus generis nostri antagonista, minimè cassibus es-
mittendam ratus, nefarijs hominum desiderijs eâ calli-
ditate respondet, ut ad sempiternum salutis dispendiū,
suos tandem sectatores catervatim præcipitet: Has au-
tem Phlegetontis voragines actionum suarum cymbâ
quidam declinare adintendo, labuntur in Scyllam cupis-
entes vitare charybdim: Enimvero reconditiores natu-
ræ operationes, veteratorio stygijs ludibrio referunt ex-
pensas; & vice versa, Dæmonis præstigias, solertiæ na-
turali porrigunt acceptas: Neq; hoc plebeculæ duntaxat
arbitrium; sed eorum quoq; passim, quorum prudenti-
tæ & cohortationis filo, ex his labyrinthis & tartareis
tenebris hominum rudis multitudo identidem foret es-
ducenda; cum præ dolor, hæc aquilonis plaga, densissimâ
superstitionis caligine sit involuta. Quemobrem le-
ctor candide, ut juvenus Academica, in his arbitraretur
rei conformiter veræ ac falsæ discrimina Magiæ, pub-
licæ enodare disputatione constitutum est, sed ut illius
commoda, etiam ad alios derivarentur compatriotas
operâ Chalcographi publicæ consecrata potestati; Quos proindè be-
nevolentia nostræ erga te igniculos, si favoris fomite dignatus fueris,
uberiora propediem ex celebri hac Sueonum Gymnade, crudi-
tionis consequere documenta. Vale.

Magi

T H E S I S Prima

Magi nomen apud Persas, nihil aliud quàm sapientem notat: Verum nomen hoc apud vulgus odiosum fecit colluvies impostorum, cum Magi hodiè vulgò dicantur, qui ex commertio cum dæmone res stupendas efficiunt, quales sunt præstigatores, incantatores, Necromantici, alijsq; similes malefici homines; sed error est: Nec enim à principio Magiæ nomen sic usurpatum fuit, nec præcisè sumptum, hoc significat, sed potiùs facultatem quandam, per quam homines efficiunt res inustitatas, & admirandas, ratione quadam occultâ, alijsq; incognitâ.

I I. Ità generaliter accepta Magia dupliciter dividi potest, Primâ in naturalem & non naturalem; De naturali postea: Non naturalis dicitur, quæ mira quidem efficit, sed non utitur agentium naturalium viribus, sed dæmonum ope, et operâ: Hinc alij statuunt bipartitam Magiam à finali causâ, Vnam naturalem, veram, atq; à deo bonam; Alteram fallacem, vanam, & ex consequente malam: Quidam tripartitam ab efficiente causa tradunt, naturalem videlicet, artificiosam, & demoniacam: Quamvis alij naturalem hoc pacto dividi velint; ut alia dicatur humana, quia humano comparatur studio & diligentia. Altera divinâ, quia per revelationem, seu mediatam, seu immediatam percipitur: Tertia demùm Dæmoniaca, quam Dæmones ijs tradunt, qui illis sese impiè adstringunt. Ab alijs deniq; Magia dividitur in Albam quam censent esse licitam, & nigram, quæ sit illicita.

I I I. Quæ postrema feda sanè, ac sordida est, & immundorum spirituum incantationibus concinnata, quibus cum, vi pacti, mira quædam efficiuntur, sive illud pactum expressâ, sive implicitâ quadam conventionem incatur: Fines, & media prava sunt, cum cantiunculis, cadaveribus, & similibus maximè peragatur: Hanc Græci peritiores γοιστείαυ vocant, cui omnes sopher adversantur, ut quæ prestigiis & phantasmata porrigat, quorum mox vestigium non remaneat; Proinde hæc Magia infamis etiam atq; etiam censetur.

I V. Hæc etiam neq; pars est physica disciplinæ, neq; ars, sed potiùs artis abusus, ideoq; ex hominum societate exterminanda: Vnde de præter sacræ paginæ illud interdictum. Ne paciariis maleficos

obveret, in illam quoq; ius civile, tūm lege duodecim tabularum, tūm
sepē aliās penam sanxit, ut codice de maleficks L. Nemo L. culpa
L. Nullus; Quo etiam tendit decretum Tiberij in Magos: Atq; has ob
causas non multis agemus de inauspicatā illā, ac ex urbibus proscri-
ptā Magiā sed tantum de felici, permissā, atq; ex occultis rerum natu-
ris profectā.

V. Hanc Magiam dari apud eruditos non vocatur in dubium; Quis enim ignorat plurimas esse rerum naturalium virtutes occultas, quas si cognitas, perspectasq; haberet, & ad usum accommodare nosset, haud dubie mira posse efficere; multa enim hunc naturae miracula, in ipsa natura maiestate penitus abdita, ut Plinius loquitur, verum haec facultas rerum adminiculo, & earum mutuā ac oportuna applicatione, opera efficere docet, quae vulgus putat miracula, omnem admirationem, humanumq; captum excedentia: Ideo maxime in India & Aethiopia vigeat olim, & etiam vigeat hodie, ubi animantium, herbarum, lapidum, ceterorumq; ad id spectantium, multa suppetit copia; Unde naturalis Magiae opera, nihil aliud sunt, quam naturae opera: Ars autem est illius ministra, ipsa naturae herbas, plantas, ac segetes parit, ars vero preparat.

VI. Hinc mirari convenit quosdam, quod tantopre hanc, de qua loquimur Magiam fastidiant, & asperant eximios philosophos Magiae omnis fuisse inexpertes, & qui cum sua philosophia Magiam coniunxerint, nullam aliam, quam nefandam tenuisse, cuius omnis vis consistat in ceremonijs, verbis barbaris, imaginibus, characteribus, & similibus. Non ita se res habet; sed praeter malam ac fugiendam, datur etiam bona, & amplectenda Magia, quam cum ceteris scientijs Adamo à Deo communicatam, eiusq; peritissimum fuisse Salomonem, regem probabilissimum iudicamus: Quam verò Magiam imbuti fuerint Magi illi quorum in sacris literis fit mentio, in dubio relinquimus.

VII. Definitur Magia naturalis, quod sit noticia rerum naturalium, quae mutuos naturae consensus, & reconditas vires apte copulando, docet operam efficere, quae admirationem excitent: Ab alijs describitur habitus, quo applicamus causas veras & naturales, ad effectus raros, & insolitos producendos, modo quodam ex se minime malo, & superstitioso. Alij latius definiunt, ut sit ars, seu facultas,
vi crea-

vi creatâ, & non supernaturali, quâdam mira, & insolita efficiens, quorum ratio sensum, & communem hominum captum superat. Hæc facultas consistit in exactione quadam arcanorum naturæ cognitione, quâ syderum influxu & sympathijs atq; antipathijs rerum observatis, suo tempore, ac modo, locoq; res rebus applicantur, & mirifica quædam perficiuntur, quæ causarum ignavis prestigiosa videntur.

VIII. Ad eiusmodi effectus raros causas veras adhibere oportet, possunt enim adhiberi nonnunquam res, in productione effectus, tanquam causæ quæ vel nullam omninò vim habent agendi, ut sunt figura, characteres, imaginatio &c. Vel quæ non sunt causæ eius effectus, ad quem producendū accommodantur; Ex quo satis colligitur Magiam naturalem, esse habitum practicum, quia praxim respicit, tanquam finem, dum ritè causas applicat, ut sequatur effectus; quod ut fiat, præcognoscere oportet modum rectè applicandi; Est enim philosophi iudicare de applicatione causarum, quatenus naturæ causarum conveniens, aut non conveniens est; Vndè Magia non est propriè, & intrinsecè pars physicæ appellanda; sed quidam quasi rivulus ex illius fontibus derivatus, cui quodammodo subalternatur.

IX. Differre Magia naturalis à maleficâ, quòd illa in procurandis effectibus nitatur sola applicatione causarum naturalium, quæ cum ipsarum naturâ consentiat: Hæc verò per se quidem ad effectuum procuracionem ordinetur; sed quatenus per ihuocationem opis diabolicæ, quam semper vel expressam, vel implicitam continet, redditur efficax, & fulcitur; quod aut mediâtè, aut immediâtè fieri potest, ut videlicet procuraretur per Magiam naturalem; quæ licet ex se sit licita, tunc tamen acquiratur malo, perversoq; modo. Talis nec industriâ, aut artificio hominum, nec naturalibus causis; sed immateriali quapiam, & separatâ virtute nititur. Quacunq; verò ratione quispiam hæc Magiâ utatur, magno sese scelere obstringit, ut docetur in studijs Theologicis.

X. Causas sibi vendicat Magia easdem, quas res naturales, sed difficultas est, quomodo vera causa à falsâ discerni possit; causæ agentis ex determinatione naturæ, hæc potissimum assignari solent, ut illi non repugnet, ut talis est, continere perfectionem effectus, vel virtute, vel formaliter; Deinde ut ipsâ intra certos alicuius spatij limites
presen

presente, & reliquis qua ad agendum sunt necessaria positis, nulloq; interueniente impedimento, sequatur effectus. Tertiò ut applicata ab ijs, quæ nullo modo, de superstitione sunt suspecti, cum detestatione cooperationis diabolicæ, eandem vim semper habeat. Deniq; ut ipsa sublatâ, cæteris omnibus etiã positis, effectus non sequatur. Ad dunt nonnulli, ut non adhibeatur tanquam signum, propterea quod cum causa realis sit, modus etiã habendi, quem exigit, realis esse debeat, et non intentionalis, nisi esset agens per intellectum, & voluntatem.

XI. Viã autem quã discernere posimus, has iam dictas conditiones, rei alicui conuenire, duplex est, generatim loquendo: Vna nota & manifesta omnibus, quã omnes possunt iudicare, rem quæ applicatur esse causam talis effectus, hocq; positum est in inductione, quam vel omnes habent, vel unus, vel plures viri graves, & fide digni ut hoc possit formari iudicium rectè: Si fallerentur, in promptu esse posse experientiam, quã id cognosceretur. Altera via non ita omnibus manifesta, sed tamen vera, & probata est illa; quando aliqua res causa esse existimatur, siuè certo, siuè probabiliter à viris prudentibus, qui artibus non delectantur suspectis neq; ducuntur affectu, & aliquem in rerum naturalium cognitione habent usum, eadem ut debet ab imprudentioribus causa haberi; vel certè non negari, quin causa esse possit, quia moraliter certum est, quod ab huiusmodi hominibus asseritur, potuisse animadverti, id verum esse, quod verum esse iudicant.

XII. Atq; ex his omnibus facile est colligere etiã duas vias esse iudicandi rem aliquam non esse causam affectus: Prima patet omnibus, si videlicet inductione constet, nunquam à tali re, effectum sequi; vel tantum per accidens sequi; ratione alterius coniuncti: Altera via est difficilior, quia multiplex: Primò, si viri prudentes, seposito omni affectu inordinato, negent esse causam: Secundò, si comparatione, factâ rei, cum alijs causis, quæ notæ sunt, nimium discrepantem involuat applicandi modum, vel qui meritò possit iudicari esse voluntate excogitatus: Tertiò, si alio tempore omnibus adhibitis, effectus talis nunquam est sequutus: Quartò, si res comparata cum effectû, nullam habet cum illo affinitatem & proportionem, qualis
alioquin

alioquin rebus, quæ vim habent progignendi, cum suis effectibus intercedit, nec consequenter, nec virtute, nec formaliter, perfectionem effectus continet.

XIII. Ex quibus sequitur, in tali applicatione, quâ per inunctionem gladiatorum, curantur vulnerati, aliquot millibus passuum distantes; quâ suspensionibus in locis abditis, curantur egroti absentes, quâ capilli, ossa, & membra mortuorum adhibentur in curationibus, necessariò demonis operam intercedere: Sunt quidem nonnulli effectus, qui perfectione superant vires causarum naturalium, vel certè modum, quo in efficiendis rebus utuntur, sed talis facultas in solum Deum referenda, vel in aliam substantiam separatam.

XIV. Alij affectus, vim effectricem causarum naturalium non excedunt quidem simpliciter; sed modum tamen prætergrediuntur, quo ordinariè ad efficiendum applicantur; Alij deniq; effectus sunt, quorum efficiendorum facultas inest causis naturalibus; & talis, ut ipsis, quatenùs ordinariè ad agendum applicantur, respondeat. Atq; ita inter vim ipsam, quâ mediante produciunt causæ effectus, & inter modum agendi, quem, ut vim suam exercent, repositum discrimen aliquod reperitur; Illa enim ad integritatem causæ, ut causa est, spectat; Hic consistit in modo quodam causæ existendi accommodato, ad effectum actu producendum, qualis est certus quidam situs, & locus, debita inter causam, & effectum distantia, medium bene dispositum, & similia.

XV. Licet autem communis opinio Theologorum duplices effectus Magiæ, veros videlicet, & apparentes agnoscat, quibus adiungi posset etiam tertia species mixtorum effectuum, ex veris & apparentibus; difficilimum tamen est, effectum à demone proveniente, per implicitum pactum, discernere à naturali, vel miraculoso: Nemo enim tam rudis est, qui putet omnes effectus esse præstigiatorios, aut omnes esse veros, sæpius siquidem demon fallit; Sæpè etiam perstringit oculos, aut alijs sensibus illudit; sæpè quoq; effectum verum producit; quid enim prohiberet, si is vires ipsius non superet? quandoquidem causæ naturales verum effectum produciunt; sed illis demon uti potest, & activa passivè applicare; Ergò tum effectum poterit verum producere.

XVI. Negari verò non potest; sed pro certo statuendum, virtutes tum astrorum tum aliarum rerum naturalium esse admirabiles & occultissimas, ita ut vix minimam earum partem cognoscere possimus: Unde difficile est pronunciare, aliquam causam adhibitam esse inefficacem suâ naturâ ad effectum: Hinc plerumq; auctores tantum conditionaliter respondent, cum queritur, an superstitio contingat in adhibendâ causâ ad mirum aliquem effectum: Dicunt enim si causa adhibita sit suâ naturâ sufficiens, ad intentum effectum, non esse superstitionem; sed spectare istum causæ usum, & virtutis eius naturalis, ad Magiam naturalem, & licitam; Si verò causa adhibita, sit ad effectum insufficientis, aut non nisi concursu demonis peragatur, tunc erunt esse superstitionem, & Diabolicam Magiam, sed utro horum modorum fiat, causæ applicatio ad mirum effectum, difficultas non tollitur.

XVII. Nequaquam etenim sufficientem ex eo solum collegeris, applicationem alicuius causæ ad effectum rarum, & insoletum esse vanam, malamq; quòd etiam à quibusdam sapientibus non intelligatur, quomodo talis causa adhibita, talem virtutem habeat ad eum effectum qui procuratur; cum virtutes quarundam rerum sint admirabiles & occultæ, ut diximus; Neq; etiam rectè collegeris, vanitatem ex præstantiâ effectus, sive quoad effectiōnis celeritatem. Talis enim effectus, etiam ab aliâ causâ provenire potest, & qui aliàs longiori indigeret tempore, celerrimè confici poterit propter oportunum cæli influxum, si rectè observetur: Aspectus enim astrorum rectè notatus supplere potest concursum aliquarum causarum particularium.

XVIII. Neq; rectè dixeris effectum aliquem esse vanum, ex eò tantum quod causa adhibita non videatur ex naturâ suâ habere sufficientem proportionem cum effectu; potest enim talis effectus esse à bono aliquo spiritu, & ab ipso Deo: Sed quid, si usus causæ adhibite, non ab alio, nisi à demone fuerit monstratus: Nihilominus non iudicare licet, esse semper Magiam perversam: Posteaquam enim semel cognita est vis naturalis alicuius rei, licitè illam quivis usurpare poterit: Atq; similia plura sunt, quæ ad cognoscendum aliquam Magiam esse malam, non sufficiunt, ac proinde non est temerè iudicandum.

XIX. Est igitur communis opinio, ubi nec miraculi, nec naturæ
vis, nec artificij alicuius solertia invenitur, esse Magiam prohibitam,
& pactum cum Dæmone intercedere; & hoc fieri aiunt: primò, si o-
pera naturalem facultatem excedunt, quod tum habet locum, si con-
cludatur rem adhibitam non habere sufficientem vim ad hunc effectum;
nec causa, & ratio urget, cur Deo, vel bonis Angelis effectus talis
adscribatur. Huc aliqui reducunt defectum ex nimia loci distantia.

XX. Secundo id fieri solet, si adhibeantur verba ignota, falsa,
apocrypha, absurda, & similia: sicut etiam sacra, si ad sensum alie-
nū detorqueantur: Item si opponantur certi characteres, aut figurae,
aut aliud impertinens ad effectum. Tertio si efficacia operis tribua-
tur certis ritibus, & observantijs singularibus ad hoc designatis, ut
V. G. fiat certis diebus, & horis, certâ corporis positione, & indif-
ferentibus vis collocatur, res omnino valde suspectâ sit oportet.

XXI. Contrâ quando huiusmodi effectus miri consequuntur, à
quocunq; & quotiescunq; hoc applicatur, sine alijs ceremonijs, & ob-
servationibus, tum merito iudicatur effectum esse naturalem; sed in-
terdum admiscet Dæmon quædam naturalia, ut totum naturale pu-
tetur; licet non sit, quod non segniter est observandum: Artificialia
deniq; possunt etiam cognosci, si ijs, quorum interest fiat artis demon-
stratio, ut in Chimica arte fieri posse credimus, licet res periculosa sit,
& difficilima.

XXII. Ut autem rem hanc exemplis declaremus, veniendum est,
ad quosdam effectus, tam veros, quàm falsos, & prestigiatorios: &
quidem exempla multa rerum mirabilium colligit Franciscus de vi-
ctoriâ, questione primâ de Magiâ, ex D. Augustino lib. vigesimo pri-
mo de civitate Dei; & ex Plinio libro septimo naturalis historiæ;
atq; ex Aristotele, vel Theophrasto in libro de admirandis auditioni-
bus. Ponunt igitur inter veros effectus mirandos, Magnetem, Re-
moram, Torpedinem, Dictamum, Naphtam, lapides, & herbas ali-
quas, quarum virtutes describuntur à varijs, ijsq; probatis authori-
bus, præsertim Cardano in libris subtilitatum, Follopio de aquis me-
dicatis, & rebus metallicis, Fracastorio de Sympathiâ, & Antipa-
thiâ rerum; Pomponatio libro de incantatione & alijs pluribus.

XXIII. Divus Augustinus loco citato aserit, quosdam tradere in Epiro fontem esse, in quo facies ardentes extinguantur; & accendantur extinctæ; Plinius affirmat hominis ieiuni salivam perniciosam esse serpentibus; & Lybiæ quosdam populos habere in proprijs corporibus virtutem innatam medendi serpentum moribus. Narrant & alij in monte Echero nasci herbam charissimam, quæ omnes ad amorem eius, qui illam gestat, alliciat. Inter veros effectus pleriq; etiam numerant serpentum incantationem, Magorum opera miranda, quando eum Mose de miraculorum patratiõne certarunt, quamvis hæc etiam in mixtis numerari possent. Atq; cum eiusmodi ignota, & stupenda videmus, non propterea statim negabimus, est operi nature: Vnde imperiti ingenij est, ait inter Theologos quidam, damnare opus insolitum, quantumvis mirabile, & mox referre in Dæmonum potestatem.

XXIV. Fuerunt tamen ex antiquis philosophis Ethnicis, qui confinxerunt virtutem quandã occultam rebus inesse, actione astrorum impressam, quam qui fuisset consequutus, posset admiranda opera efficere, quæ vulgò miracula iudicantur: & eodem modo negabant occulto auxilio spiritus opus esse, cum vel virtutibus rerum, vel imaginationi operantis totum adscribi possit; ita censuit Mercurius Trismegistus, Alexander Aphrodisæus, Avicenna, & nonnulli alij ex eodem spacio philosophi. Ex recentioribus etiam satis huic opinioni favet Pomponatius, cum principijs philosophiæ, rationiq; naturali consentientem esse aserat. Sed malè; sicut enim negandum est nullo modo, res quasdam naturales habere talem virtutem occultam; Ita omnes habere talem constanter pernegare oporteret.

XXV. Quis enim credat (ut aliquid etiam de vanis, & prestigiatorijs dicamus effectibus) Heliotropiam facere homines invisibiles, & argento vivo inter duas cannas posito, incantationes impediri: ut Guilielmus Alvernus opere suo de universo refert. Quis credat rutam furto sublatam, & ocimum cum conicijs plantatũ, uberiorius provenire: ut Robertus Trixius libro de dæmonum deceptionibus docet. Quis credat quempiam posse ex aère novum hominem creare, saxa quasi lutum penetrare, statuas animare, in igne positum non ardere, in ovem, aut lupum se transmutare, in aëra sublatum volitare, au-

ve, auri plurimum exhibere repente &c: Quæ tamen de Simone Mago leguntur apud Clementem Romanum lib. 2. Recognitionum. Quis credat virtute herbæ cuiusdam, quam Aethiopidem nominant, feras aperiri, stagna & flumina exsiccari, aliaq; similia fieri: ut Plinius refert lib. 10. quæ omnia credit Apella: quæ oculorum vel præstigiæ sunt, & illusiones, vel miracula potius habenda, aut aliàs dependent à substantijs separatis.

XXVI. Exemplis veræ Magiæ in assertionem vigesimâ secundâ allatis, videtur repugnare communis philosophorum opinio, quæ negat actionem in distans fieri posse, nisi in & per medium; & proinde multa non spectabunt ad naturalem Magiam, quæ nos spectare diximus. Cum igitur hæc res difficultate non careat, explicare oportet, quomodo se res habeat: & primò quod ad Magnetem attinet (cuius usus si ignotus esset vulgo, & quispiam iam primum ostenderet, Magnus putaretur ac haberetur, esset enim admirabilis author operis) variæ sunt philosophorum sententiæ, quomodo ferrum trahere possit; Nam quod trahat, docet experientia, & Divus Augustinus 21. lib. de civitate Dei, qui se vidisse ait, anulum ferreum à Magnete pendentem, qui rursus secundum traxerit anulum, & ille tertium, ut velut catena texeretur, quod & alij imitando se expertos gloriabantur.

XXVII. Omisissis varijs sententijs de modo, quo Magnes ferrum trahat, probabilissimum videtur, Magnetem imprimere ferro aliquam qualitatem motivam, quâ illud ad se trahat, quæ attractio fieri non potest nisi, per medium, alterando videlicet illud usq; ad ferrum; quæ alteratio licet non percipiatur semper, nulla tamen est ratio, cur non idem etiam fiat, quod in alijs causis efficientibus. Medium etiam semper afficitur, & alteratur, non passione sensibili, sicut ferrum, sed occultâ quadam propter diversam dispositionem. Penetrat aliquandò Magnes quoq; corpus intermedium, etiam densum, suâ alteratione; vel quia porosum est, ut lignum; vel quia exiguam habet profunditatem; ac propterea arbitrantur nonnulli, vim Magnetis esse quandam participationem, celestis proprietatis & influentiarum.

XXVIII. Simili modo dicendum videtur de Echineide, sive Remorâ, quæ qualitatem aliquam occultam ex se parit, quâ navigio-

um impulsum hebetet, & cursum impediatur: Nec enim incredibile, tributam esse pisci, hanc virtutem, sicut Torpedini manum obtorpesfaciendi: in his enim consistit naturalis Magia, quod sit mirabilis nature effectus, & difficillimum explicatu, quâ virtute causâ id efficiatur. Fortassis tamen hunc effectum, iuvat specialis aliqua & connaturalis influentia celestis. De hoc autem pisciculo, multi graves authores, multa scribunt, Divus Ambrosius lib. 5. Hexameron, Aelianus lib. 12. Plinius lib. 31. historię naturalis, & alij.

XXIX. Quod de Naphta (bituminis genus est) dicitur eam ab igne accendi, ubicunq; quasi ab igne conspicitur, id Erastus, & alij fabulosum existimant, nos cum pluribus Magiæ naturali adscribimus; & bitumen illud, tanquam liquidum & pingve, multos crassos, pingvesq; fumos in medium spargere iudicamus, & quidem per satis longum spacium, usq; ad ignem aliquem, & tùm vaporem, vel fumum proximum concipere ignem, & inde semper reliquum usq; ad ipsam Naphtam; & ita quodammodo transvolare ignem, sicut candelæ extinctæ adhuc fumant, facto fumo ab aliâ candelâ, denuò inflammantur; Atq; hoc pacto de his & similibus dicendum potius, quam fabulæ adscribendum.

XXX. Maior controversia est inter authores de imaginatione, utrum illa viros aliquos producere possit effectus, quâ de re tres inveniuntur sententiæ, prima, tribuit imaginationi vim producendi immediatam; sed discrepant huius opinionis assertores; Quidam enim volunt, tantum respectu eorum effectuum, qui intra corpus imaginantis eveniunt; Alij verò etiam extra imaginantis corpus eam fieri longissimè contendunt; Hinc Avicenna sexto Naturalium imaginationi hanc tribuit vim, ut res movere loco, pluias, & fulgura elicere, tempestates excitare, egros sanare, sanos debilitare, & permutare elementa possit, ut nec ignis urat, nec aqua humectet; & sunt qui hanc sententiam sequuntur, ut conciliatores, differentiâ 135. Paracelsus & alij non pauci.

XXXI. Altera sententia est illorum, qui existimant posse imaginationem non solum proprium corpus, sed etiam alienum alterare, verum mediâ tantum, medijs videlicet spiritibus, & humoribus: Nam imaginationem variæ passiones in appetitu consequuntur, quæ
cunq;

cum non sint absq; naturali aliquo cordis motu, fieri potest, ut motu illo sanguis, & spiritus hominis variantur, aut spiritus, & humores ex humano corpore exhalent, quibus alia corpore affecta, diversimodè alterantur; & ita quidem sentit Pomponatius lib. de incantationibus.

XXXII. Tertia opinio peripetetica est, & nobis probatur, videlicet imaginationem, permultum reboris habere in propriū corpus, ad illud alterandum; siquidem omnia potest in corpus suum, quæ naturalem coordinationem habent, cum imaginatione, ut sunt motus localis in dormientibus; alterationis per frigus, & calorem, & quæ hunc sequuntur: Mirum enim est quam variè moveantur, una cum calore spiritus, prima anima instrumenta, propter quandam animæ inclinationem, & fugam per phantasiā: Hinc propter celeritatem spirituum, calores subiti, refrigerationes repentinæ, caloris crebræ mutationes, trepidatio, torpor, laxatio alui, vertigines, animi deliquium, & subitanea aliquando mors nascitur; aliq; eiusmodi innumera, & planè admiranda proveniunt.

XXXIII. Exempla passim occurrent, inter quæ ponunt aliqui id quod Iacob Patriarcha Gen. 30. cap. fecisse legitur. Item quod in utero materno macule, & figuræ, aliq; similia foetui ingenerentur, quorum imaginatione mater, nimium occupata fuerato dum foetus formaretur; Quod intuentibus in potum, lingua amaritudinem concipiat; Quod in morbos quidam imaginationis vehementiâ incidunt; Quod secundum Galeni sententiam, is medicus plures sanet, de quo plures confidunt. Breviter cum Thoma Erasto dicendum censeo, quidquid caloris, spirituum, & humorum motus corpori potest boni, maliq; adferri, hoc omne potest in nobis imaginatio tristis, aut iucunda efficere. Non equidem per se, sed per accidens, quatenus videlicet species imaginata, representat rem commodam, vel in commodam, atq; per appetitum spiritus moti alterationes inducunt.

XXXIV. In corpore alieno, non tamen remoto, sed vicino, & contactu quodam copulato, posse interdum effectum aliquem, non mani momenti ex imaginatione sequi credibile est per vapores exhalantes, ob adiunctum cordis motum, presertim si imaginatio sit valdè intensa, & vicinum corpus, ad illam effectum valdè dispositum. Verum in corpore alieno desuncto, & separato ab imaginante, non possunt

possunt per imaginationem, neq; per aliam potentiam, mediantibus
ullis spiritibus, vel speciebus, mirifici quidam effectus produci, ut ex-
pulsio V. G. tempestatis, sanitas in morbo difficillimo, & similia,
quæ Pomponatius fieri posse existimat.

XXXV. Ratio huius rei esse potest, quia imaginabilis species,
actum habet nullum nisi representationem, & imaginationem velut
obiectum representivè tantum, non autem virtute, aut formaliter
continet effectum: Deinde animam imaginans, nullam realem qualita-
tem rei disjunctæ potest imprimere, quod omninò est necessarium, ut
in eam agat; Imaginationis autem actus, in imaginante permanet,
in rem nullam aliam transiens: sed quis actionem in homine rema-
nentem, aliquid extra hominem mutare posse arbitretur? Dei hoc
est solius, nullius creature. Sanè actio quælibet fit per contactum,
cuius rei causa, spaciium, seu intervallum, determinatum requiri-
tur, quo agens virtute sua passum attingere possit. Proinde omnes
candidi, & eruditi aestimatores, cum Aristotele 9. Metap. verissimè
censuerunt, actionem transeuntem, non in agente, sed in patiente,
esse. Ex quo necessariò sequitur; solas illas actiones aliquid extra
ipsum efficiens constituere, quæ in efficiente non manent; sed in pas-
sum transeunt, at omnis imaginatio actus est remanens in imaginante.

XXXVI. Ac propterea non magis hæc potest, actu suo res i-
maginatas movere, quam oculus res visas, aut intellectus res cogni-
tas, si possent à facultatibus cognoscentibus, ut ipsæ permutari, iam
res quælibet talis esset, qualem vel sensu, vel imaginatione, vel in-
tellectu quisq; iudicavisset. Hinc facile aliorum auctororum sententiæ
ruunt, quorum aliqui, ut Alchindus libro de imaginatione, radijs qui-
busdam, quos somniant, omnia perfici volunt, videlicet res imagina-
tione conceptas, ut ipse in eâ subsistere, ac per radios quaquaversum
exeuntes, foris quoq; produci posse, si vehemens iungatur desiderium.

XXXVII. Alij verò inter quos Pomponatius, non radios, sed
spiritus faciunt effectuum opifices; quamvis hic in progressu dispu-
tationis suæ talium rerum effectores statuatur, vel latentes hominum
proprietas, vel intelligentias cælestes. Alij quidam ab imagina-
tione, aërem infici, & corrumpi asserunt, à quo deinde qui fascinan-
tur, patiantur. Paracelsus alterius progreditur, & imaginatio-
nem so-

nem solum ait esse in homine, in suum corpus, & res alias & quas
radius illius dirigitur. Nec mirandum putat, ab imaginatione cor-
poralia produci; item febres, ac pestem, in quo non multum ab A-
vicennâ dissentit; In libro de occultâ philosophiâ ait, imaginationis
vim, præcipuè in peste cerni; Si quis in Galliâ, inquit, fratrem au-
diat in Italiâ obisse ex peste, imaginatione sibi pestem accersere po-
test, quæ in alios deinde invadat, sine aëris infectione; Falli namq;
rudes ait, dum aërem à talibus corrumpi putant; imò etiam futuro-
rum prævisionem imaginationi scribit.

XXXVIII. Sed hæc pleraq; vana sunt & fictitia, atq; ex supra
dictâ refelli facile possunt; ex quibus etiam consequenter licet colli-
gere, imaginationem sim producendi nullam habere; neq; alium per
eam sanari posse, neq; per eam solam pluvias posse, fulgura, ac tem-
pestates cieri, &c.

XXXIX. Fascinatio variè accipitur; illam in naturâ existe-
re plurimi negarunt, eamq; opinionem, quæ illam admittit inanem,
& vulgi errore introductam existimarunt, in summa, ita iudicamus,
si fascinare sit sola vehementia imaginationis, cum intensâ nocendi
cupiditate aliquem extra se ledere, inspiciendo, aut malè precando,
negamus hominem ab homine fascinari posse. Hinc plurima quæ Pli-
nius, Gellius, Solinus, Heliodorus, Plutarchus aliq; de fascinatione
scribunt, nugæ sunt, ac fabulæ.

XL. Quis enim animo concipiat segetes, arbores, animalia, quia
laudentur ab aliquo, interire: Quod tan en cum Solino Gellius lib.
nono, Plinius lib. septimo. Naturalis historiæ affirmant, in Africâ
videlicet homines exiitisse, qui si segetes, arbores, pecudes, homines;
impensius laudavissent, certò emortuas fuisse res predicatas; tametsi
interitus causa alia adfuisse nullâ; si aliquid simile contigit ali-
quando, fascinationem ex fœdere cum dæmone inito promanasse di-
cendum: Pius coloris habet cum ab iratis oculis maui quidpiam ef-
flere contendunt.

XLI. Si verò fascinatio accipiatur pro aliquâ qualitate vene-
nata in oculo existente, aut in corporis dispositione internâ, aut hu-
moribus qui communicantur spiritibus vitalibus, qui tum ad oculos
perveniunt, quibus aër proximus inficitur & hoc pacto alteratio hæc

certam distantiam pervenit, alteriq; nocet, fascinationem natura-
liter dari existimamus, cum Aristotele in problematibus; Non etenim
est negandum, aliquid noxij ex corporibus certorum hominum exspi-
rari, alienaq; corpora inquinare; quod idem de alijs animalibus est di-
cendum, quæ vel aspectu vel olfactu aliquandò nocumentum inferunt.

XLII. Ex quo facile apparet, quæ fascinatio sit admittenda, quæ
reijcienda. Non enim dubium est, quin natura aliquibus indiderit,
noxiam aliquam qualitatem, quam postmodum velut iaculum vene-
natum foras evibrant, alios ledentes: Sicut etiam philosophus atte-
statur, interdum fieri, fascinationem ipso flatu corrupto, & usq; ad
aliam personam transmissò. Talem autem alterationem facilius ac-
cidere infantibus, & pueris, ait Alexander libro secundo problem:
quia ob tenerum corpus quamlibet externam impressionem facilius
paciuntur: Quamvis sæpe fiat, ut tantum ex fædo, truculentq; tur-
pis, irateq; anus intensore, & curiosiore aspectu, infantulus aliquis
territetur, & hac occasione egrotare incipiat, potissimum si ad mor-
bos prius fuerit infans dispositus.

XLIII. Cum verò aliquid contagiosus, ex corporibus scabie, le-
præ, Elephantiasis, phthis, pesteq; infectis exhalat, contagium nomi-
namus & non fascinum, & fascinantes quidem, illos solos ledere,
quos oculis & contagione suâ prius designarunt; ceterisq; nihil no-
cere plerunq; creduntur; Contagioso autem morbo correpti, nescien-
tes & nolentes, inficiunt passim se propriis accedentes, illis putridâ
infirmi exhalatione adherescente; utrum verò, sibi metipsi quispiam
fascino perniciem possit inferre, ut de iuvene quodam canit nescio
quis poetarum: Qui miser in rabido, dum spectat flumine vultus

Fascinat heu sese ac subitè per viscera morbâ
Sæua lues pervasit.

negantem partem probabiliorem, & affirmantem figmentis similem
iudicamus.

XLIV. In Magicis rebus variæ abhiberi solent figuræ, quibus
aliquid efficitur, id ex occulto, aut manifesto demonis pacto efficitur;
Is enim talia sibi signa constituit, ut quandam quasi teseram milita-
rem; Quare in errore versari eos, qui soli figuræ, soli scripturæ, so-
lis deniq; vocibus tantam mirabilium potestatem adscribunt, docent
expresse Theologi, & Iurisperiti non pauci.

Nam

XLV. Nam cedo, sordes amabo, undè efficiendi vis figuræ inesse queat; Nùm ratione dimensionis, sive quantitatis: at quantitas ut talis est, vim efficiendi habet nullam, ita consentiunt philosophi; Nam ratione materiæ: at hoc tantum per accidens inest figuræ, quæ illam agendi vim consequitur, quæ consentiens est viribus rerum, quibus cum figura idem efficitur. Nùm propriâ ratione figuræ, sive generali, sive speciali: Sed neq; sic efficiendi vim habet ullam, cum intelligi non possit, figuræ inesse perfectionem, aut formalem, aut virtutalem rerum, quæ producuntur.

XLVI. Non tamen obstat, quin figura sit plurium agentium conditio necessaria, & conprincipium in motu locali, ac operationibus, quæ per hunc motum fiunt, ut sunt variæ divisiones continui; in his siquidem multum refert, qualis sit figura, & ita in artificum instrumentis efficit figura, ut sic, vel sic aperentur; efficit etiam ut ferrum latum super aquas feratur, aliter figuratum mergatur. Non autem figura est conprincipium in alterationibus, quæ fiunt secundum qualitates.

XLVII. Quando conditiones legitime figuræ adhibendæ desunt, si figuræ frequentantur, tum vel casu effectus sequetur, vel cause per se sufficientes erunt applicatæ; vel si neutrum habet locum, effectus ille merito cacadæmoni adscribetur: & consequenter, qui figuris sive sculptis, sive pictis, sive in aerem formatis, effectus certò procurant, existimandi sunt, niti invocatione, & pacto Diaboli. Tales sunt, qui gestant chartas, notis quibusdam obscuris notatas, amuleta dictas, quiq; utuntur consecrationibus figuras continentibus aliquas in eum finem, ne vulnerentur, nec mergantur, aut ut morbos curent, aut alia impura consequantur; Nec refert, quod aliquandò etiam adhibeant verba sacra, quia malè et contra Ecclesiæ auctoritatem, legitimumq; usum adhibere non verentur.

XLVIII. Simile de vocibus verbisq; iudicium ferimus, vis enim agendi nulla illis attribuenda, nisi per accidens: Nam ratione soni possunt in audientem operari: Deindè ratione significationis possunt alterare audientem læticiâ, timore &c. quæ adferunt; & ex consequenti, nulla vocabula vim habent naturalem, vulnera vel morbos sanandi, aut noxas alias depellendi, si dicas, malis carminibus esse.

*Aut mirabiles, Magos operari ut constat; prolati quibusdam ver-
bis in auriculam tauri, eum concidisse ut mortuum, rursus alijs, eum
surrexisse: Respondetur hæc, & similiã fieri à demone, vi pacti im-
pliciti, vel expliciti; sed parentum execrationes non semper cadunt
irrite; Ast hoc aliquando fit ex vehementi alteratione verecundiæ,
timoris aut tristitiæ, vel Deus punit, iusto iudicio impietatem, filio-
rum in parentes, ac propterea tale quid, non sono verborum duntaxat
adscribendum.*

*XLIX. Motus localis nullam habet vim; effectum de novo produ-
cendi, & ut de figura, ita de motu est ratiocinandum: Idem de nu-
mero cui Pythagoræi, & Platonici, nimium tribuebant; Si qui ef-
fectus aliquando ex rebus numeratis sequuntur, non numero, sed
substantiæ rerum tribuere oportebit. Musici numeri magnam habent
vim, non ut numeri, sed ut soli modulamine, suaviter animum affici-
unt audientis. Plurimi etiam medici, maiorem efficaciam inesse
consent numero impari, quam pari, licet equalis adsit quantitas, quæ
opinio, cum vanitate non careat, omnino rejicienda est.*

*L. Lycanthropiam, vel alias huiusmodi Metamorphoses, quas
nonnulli superstitionis somniant magistri, profus exploamus, as-
ferentes illius phantasiæ Demones illudere, qui se transmutatum
falsò opinatur: Idem de transmigratone, & conventiculo sigarum
ad insulam virginæam porrigeamus iudicium, veritati apprimè consen-
tancum.*

*LI. Sanè plurima sunt in rerum naturâ, quæ vulgus non mira-
retur tantopore, si rationem sympathiæ, & antipathiæ cognosceret;
Nam ex proprietatibus quoq; occultis, animantibus, alijsq; rebus in-
est compassio quædam, quam Græci συμπαθεία, sicut alteram ἀν-
τιπαθεία nos consensum disensumq; dicimus; Plinius hanc discor-
diam, illam concordiam nominat; Tullius sympathiam vocat conti-
nuationem, convenientiamq; naturæ sat efficacibus verbis: Nam ta-
mentis disita sunt Magnetis & ferri corpora, tamen in ijs ita conti-
nuatur natura, ut etiam convenient in unum.*

*LII. Quædam igitur mutuo connubio sibi associantur, & tan-
quam scelere devinciuntur; aliqua verò sibi ipsis infesta, & simulta-
te disentiunt, cæcisq; laborant discordijs; quæ omnia ad Magiam na-
tura*

turalem referuntur; Nec enim semper causam harum rerum suppetit, nisi quod spectaculo eo, natura ipsa fuerit delectata, nec aliquid placuit esse sine pari; & nihil est in naturæ occultis, quod arcana quadam proprietate non vigeat, & peculiari.

LIII. Significant sympathia & antipathia ipsas rerum naturalium vires, propriasq; affectiones, quæ vocibus absolutis significantur, cum adiunctione respectus huiusmodi; quo comparando unius rei perfectionem cum alterius, intelligimus eas repugnare, aut inter se consentire: Ideo definitur à plerisque in hunc modum; quod sit repugnantia inter affectiones proprias, operationes, & effectus rerum; quæ sibi mutuo impedimento sunt, ad debitas perfectiones accidentales assequendas: Sympathia verò est, consensus rerum secundum accidentia propria, operationes, & effectus quibus sibi mutuo succurrunt, ad perfectiones debitas obtinendas.

LIV. Exempla sunt manifesta, illius quidem ignis & aqua; huius verò ignis & aer; Illa enim antipathiam inter se habent ratione contrariarum qualitatum & operationum, quibus sibi mutuo bellum inferunt; hæc autem fovent sympathiam, quæ ratione in calore conveniunt, & in eodem ferè loco naturæ suæ degere expetunt, cæterum hanc antipathiam & sympathiam dari inter res naturales, non est dubitandum, cum experientiâ constet, alias inter se esse contrarias, alias similitudine quadam naturali aliquomodo coniungi.

LV. Maxime autem admirari convenit ipsius universi consensum, in quo corpora ita invicem connexa sunt, ut nulla potentia sit in naturâ, quæ eorum extrema, quibus se mutuo tangunt, seiungere prorsus possit, atq; ita separare, ut vacuus locus intercedat; quæ certè res admiratione non caret; Hac de causâ gravia sursum trahuntur, levia deorsum, contraria, quæ sese pellere atq; etiam interimere solent, seiungi tamen nolunt, tantus est consensus omnium rerum in universo.

LVI. Sed adducamus nonnulla exempla quæ apud philosophos, alioq; graves auctores passim leguntur; & præsertim de animalium quorundam antipathia, quam Aristoteles ducit à fine, ob loca, ob pabulum, ob paratam noxam, ob venerem. Quod ad locum, patet etiam eiusdem speciei animalia se mutuo ab eodem loco expellere, ne dum diversa. Ob pabulum, duplex est ratio; Cum aut utrumq; ani-

mal idem appetit pabulum, ut mus & mustella, aut alterum alterius
esca est, & sic inimicitia maiores sunt. Quibusdam mutuus affectus,
ut Delphino & Hamia. Addunt aliqui rationem quartam, siquidem
quædam pastu arcent alia, tametsi eo non vescantur, ut canis lupum.
Odi autem causa noxa est, ut inter hominem & serpentem: Tanta
etenim disident similitate, ut homo serpente viso, ac tutum expave-
scat, & femina uterum gerenti occurrens, partum ob ortu vitiet.

LVII. Leonem ferarum generosissimum terret galli gallinacel
cantus, Elephas magnitudine stupenda, grunitum suis maxime per-
horrescit, ut Zoroaster affirmat; Araneus cum bufone, & serpenti-
bus disidet, ut conspecto hoste aculeum, fronti infigat, mortemq; in-
ferat: Simius testudinem horret, statimq; visa fugit, & vocifera-
tur, serpit & hæc similtas inter plantas, siquidem quercus & olea
ita disident odio, ut si quercus in oliveto fuerit nata, introrsum com-
meet, & exarescat, vel olea in querceto, radices maxime noxias re-
linquit, ut quercus enecet, sic quoq; vitis laurum odit; vigitq; simili
discordia inter laurum & ficum, inter serpentes & fraxinum, cuius
umbram quoq; fugiunt, quamvis in longum porrectam; ut si locum
in agro circumdes igne, serpentes potius & citius in flammam, quam
ad arboris umbram confugiunt: Ex Aristotele demum constat vultu-
res & scarabeos rosarum admoto odore, extingui.

LVIII. Quæ horum omnium ratio? dicerem ingenui, candidiq;
animi verbum, Nescio, cum Iulio Scaligero, quando querit num hirci
sanguine rumpatur adamas, nisi placeret magis antipathiam hanc re-
ferre in occultam aliquam qualitatem; licet recentiores quidam hanc
detestentur, & satis contumeliosè inscitia asylum vocitent, profe-
rant ipsi aliam causam, si melior fuerit mox amplectemur. Intelli-
gimus autem per occultam qualitatem nihil aliud, quam latentem po-
testatem, quæ res agunt patiunturq; aliquid, cuius ratio à nobis, aut
nulla, aut non facile reddi potest. Atq; hoc ipsum Aristoteles cogno-
vit etiam, cum omnium rerum causas non perquirendas esse docuit,
propterea, quod multa sint, ad quorum naturam penetrare acies hu-
mani ingenij non queat.

LIX. Dubitatur in hac materia vehementer, qui fiat, quod in
hominum genere plurimi, quovis fere in loco reperiuntur, qui naturam
abhor-

abhorreant à cibo, & potu aliquo, quibus alij delectantur impense, ut caseo, allijs, capis, vino & similibus: Sunt quibus sudorem exprimat felis, absconditus etiam quem ita habent exosum, ut nisi ex loco in quo ipsi sunt expellatur, in animi diliquium incident, ut experientia testatur: *Quæ huius rei causa?* Non convenit inter philosophos ac medicos; Plurimi se ignorare fatentur. Dicimus autem nos hanc antipathiam oriri, ex occultâ & accidentali quadam vi, quæ materiæ qualitatem, seu temperamenti, ac mixtionis sequatur modum. Nec mirum alicui videri debet, tales qualitates materiam consequi, cum præsertim colores, odores, sapes, tam varios, tamq; admirabiles hinc oriri constet, ut sapientes in summam rapiat admirationem.

L X. Hinc errant, qui volunt huiusmodi vires occultas esse substantiales, vel ex substantiali formâ sequi, vel illius quasdam esse potentias, si enim hoc verum esset, necessariò in omnibus speciei individuis reperiretur talis antipathia; Quod etiam aliqui ita à felibus abhorreant, potest etiam terrori adscribi, in quem matres gravida aliquando incidunt propter subitum felis occursum, ex quo terrore potest temperamenti immutatio talis accidere, propter quam occulta quædam dissentio exoriatur. Aliqui etiam nauseam quorundam ciborum referre studuerunt, in vitiosorum humorum in ventriculo, & alijs in locis acervatorum qualitatem, idq; non absurdum videtur.

L X I. Eadem est ratio de ijs, quæ inter sympathiam habent, aliquam, & amico consortio, naturaliq; affectu inter se devincta conspiciuntur. Hinc lacerta homini amica, cuius conspectu letatur, inter aquatilia Delphinus, ut philanthropus dicatur; vulpes eum serpente degit amicè, amant pavones columbas, merula turdos, & niger à viridi, turtur amatur ave. Inter plantas etiam quidam amor; quorum omnium ratio si ignoretur, in vim quandam occultam referenda, quid quid alij in contrarium statuere frustra enitantur.

L X I I. Ex his non obscurâ licet coniecturâ colligere, quid sentiendum de Stychiomantiâ, Hydromantiâ, Chrystallomaniâ, Phyltris, alijsq; ex eodem baratro abominationibus, nempe, si quid occultæ virtutis habent, à certâ in dæmonum fiduciâ provenire; ut etiam de virgulâ divinante, quæ Thesaurus terræ visceribus reconditos investigant

gant incantatores; & Necromantiâ, quâ defunctorum animas Necromantes evocare frustra contendit, Dæmone comparente, & responsa dante, ut contigit Sauli; Atq; Chiromantiâ, qua ex inspectione linearum, per volam ductarum, fortunam hominis Chiromantes prædicere non erubescit; Ideo horum incantamenta, eatenus sunt operatoria, qua illis virtutem attribuunt impostoris præstigiæ.

LXIII. Similiter hinc liquidum evadit, quo loco habenda, per numeros divinatio, de quâ multi multa fabulantur; Velut Plato etiam lib. 8. Politic. ubi eadem vanitate Arithmeticum fabricat vaticinium, de periodo temporum; Sed illa fabricatio non habet rationem Physicam, ut neq; sphaera Pythagoræ, aut Apulei, ullo nititur solido fundamento; Ideo quavis multa lateant, in numeris mysteria, ea sola tamen probanda sunt, quæ cum ratione & veritate habent analogiam.

LXIV. Quod ipsum dicendum quoq; de fortibus, quibus licet in causâ legitimâ vis divina sæpius annuat; tamen ad abominationem, & Deum tentandum eiusmodi trahere, veris & pijs Christianis denegatum; Nam quæ per incantationem & fabas projectas, numero pares aut impares, fit electio, tam prohibetur de iure, quàm necessitatis causâ; sortitio in divisione hereditatis legitimè admittitur. Auguria item quantumvis interdum licita, dum causas habent naturales, velut dum ex gallorum cantu tempora discernimus, tamen quando naturalibus causis non nituntur legum censura subiacent; sicut reliquæ superstitiones, ex eadem Dæmonis sentinâ derivatæ.

LXV. Horum profectò malorum sunt quidam perversi Astrologi authores, qui præter hæc, & alia nugumenta ex observatione astrorum hominibus quædam necessariò eventura prædicunt, Deo præpotenti potestatem adimentes suis dirigendi creaturas; Proinde eruditissimam de astris Philosophiam, quam veteres Magiam vocabant, impietate, & mendacijs contaminarunt innumeris; & quidem ita sibi in hac suâ placeant dementiâ, ac si Vrania illis astra in manus consignasset, sicut Ulyssi navigaturo omnes ventos dicitur Aeolus, in utrem conclusos tradidisse, ut illis pro arbitrio uteretur. Hinc iam liquet quod de genethliacis iudicium ferendum.

LXVI. Ut autem innotescat quantum astrologorum præscientiæ sit concedendum, sciendum est, posse eos certò cognoscere siderum aspectus, ecclipsesq; cum horum cognitio dependeat à cœli revolutione; Deinde morbos, tempestatem, & sterilitatem, probabiliter prænunciare valent; siquidem huiusmodi effectus, ab alijs astris impediri possint, ut etiam à soli qualitate, quod proinde in his prædictionibus, tam bene atq; sidera est considerandum ab Astrologis; verum actiones ab humanâ voluntate pendentes, nulla ratione certò prænoscere possunt, ut neq; successus fortune; siquidem astra in voluntatem non influant necessariò humanam, sed secundum quid, Ergo neq; ex illis necessariò quid hominibus prædicere possunt.

LXVII. Deinde eventus humani sunt fortuiti, & incerti, igitur & causa; sed nihil ambiguum certò præcognosci potest; proinde neq; actiones humanæ: Nec satisfacit illa astrologorum responsio, quæ asserunt astra non esse causas certas eventuum humanorum; Sed signa tantum sub tali, vel tali aspectu observata, cum illud impossibile: Siquidem stellæ astrologis hætenus observatæ sint tantum mille & viginti duæ, quæ omnibus mortalibus signa esse nequeunt, multò maiore hominum numero existente; Quodq; magis est, constat multos sub eadem constellatione natos, diversam experiri fortunam: Hinc sacra pagina frequenter huius vanitatis damnat imposturas, ut Deut. 18. Esa. 47. Jerem. 10.

LXVIII. An verò cœlum in hæc inferiora per solum motum & lucem agat, vel etiam per occultas aliquas qualitates; ad illud respondemus asserendo, præter lucem, & motum, etiam dari occultas cœlorum influentias in hæc sublunaria, cum videamus Magnetem se obvertere polo artico, æstum procedere maris; incrementa cancrorum in novilunio, decrementa in plenilunio, sive lux sit, sive non sit, undè non difficulter licet colligere, alicui alteri cause præterquam luci, & motui hos affectus adscribendos.

Atq; hæc de Philosophiâ secretiore unequivocè
iuventuti Academiæ sufficiat pro tem-
pore inumbrasse.

PERDOCTO HARVM
THESISVM propugnatori
Acrosticon.

N medijs sopsie quasdam consistere iuvat;
Te iuvat in summis figere posse pedem:
Abdita naturæ genio penetrare sagaci
Lustra cupis, patriæ gratus alumnus es.
Vtpotè commonstrans phiseos sacraria veræ (ris,
Subtili stygios discutis arte dolos
Posthac assecclas paucos habiturus Averni
Ludus iactabunt Tartara dira minas.
Nil saga, aut tetri, nociturus Rector Averni,
Nam quis eum perdet cui Deus addit opem.

ERICVS THOMAE Theolog. studiosus.

ALIVD.

EX arte effectus varios censemus oriri,
Fallimur, & nobis cognita causa parum.
Quod res gignantur, clarum est, sed noscere causam
Quâ res gignantur, noscere difficile est.
Plurima qui norit felix; felicior ille
Qui veras causas, rerum aperire potest
Tu nosti doctè, ressondes doctaq; doctis;
Quâm te felicem nostra lycæa putant;

LAVRNTIVS BERGERI VVerm.
Theol. studiosus.

Aiiud

ALIVD.

Ranas, si Magus es, facias, catulosq; luposq;
 Effice de ligno prodeat ursa, leo,
 De cultris lac mulge, Alcesten vivere manda
 lactat enim magnus se illa patrare Magus,
 Naturam dicis tantum potuisse, Deumvè,
 Gratulor, hoc dicto cerneris esse Magus.

OLAVS GABRIELIS ANG.
 Theol. studiosus.

ALIVD.

Hem quam graviter hostium repellis
 A te spicula, quamq; congruenter
 Ac scitè sophiæ sacros recessus
 Pandis? quam liquidè tenes, docesq;
 Naturæ abdita, quæ stupet rudis plebs?
 Sed quid multa? polum, fretumq; humumq;
 Sollerti ingenio tuo penetras,
 Causam scire cupis, Magus sophusq; es.

PETRVS IONAE Biugg Iuris studiosus

SYLLOGISMVS AMORIS.

Est sacris vetitum libris didicisse Magiam,
 Iste sunt Magicæ, sunt vetitæ ergò Theses;
 Si mihi concedis, veram admittendo sequelam,
 Concludam, calidis dignum opus esse focus.

Belle distinguis, veram licuisse Magiam
Scire; uti falsâ, sed licuisse negas.
Sat citò cognoras veram cum laude Magiam,
Ast uno falsam vespere discit anus.

IOHANNES PETRI Philosophiæ studiosus.

ALIVD.

Dum naturalis nomenq, modumq, Magiæ
Indagas, vereor ne videre Magus,
Extra naturæ metas, viresq, quod usquam
Numinis hoc proprium est, omnipotentis opus:
Haud Magicum ergò; Deus nec enim Magus, arte quod
Est à naturæ conditione procul; (extat
Idcirco aut Physica est, aut nulla est ista Magia;
Magnus tu Physicus, magnus es ergo Magus.

IOHANNES HARALDI Fegreus
studiosus Philosophiæ.

AD VNIVS TRINIQVE
DEI GLORIAM.



Errata Typographica candidus

Lector sic corrigat.

Sub litera A. fol. 1. fac. b. linea 6. pro expolitis, lege expolitis. lin. 23. pro quatenus pristino, leg. quatenus me pristino. Fol. 2. fac. b. pro quaedam lega. prædam. Fol. 3. fac. lin. 1. pro viveret lege vivere. lin. 10. pro hunc, leg. sunt. Fol. 4. fac. a. lin. 3. pro exactione leg. exactione. fac. b. lin. 1. pro qua leg. quæ. lin. 21. pro uti debet, leg. res debet. sub lit. B. fol. 1. fac. a. lin. 11. pro referenda, leg. referenda erit. lin. 16. pro applicantur, leg. applicatur. Fol. 2. fac. b. lin. 21. pro Quoad effectiõnis, lege Quoad naturam sive quoad effectiõnis celeritatem, &c. Fol. 2. fac. a. lin. 13. pro corporis positione, & indifferentibus, leg. corporis positione in tali charta & quotiescunq; in similibus observantijs planè superfluis & indifferentibus, &c. fac. b. lin. 11. pro est operi, leg. esse opera. lin. 26. pro oporteret, leg. oportet. Fol. 3. fac. a. lin. 5. pro quæ oculorum, leg. oculorum &c. fac. b. lin. 1. pro Nec enim, leg. nec est. Fol. 4. f. a. lin. 3. pro corpore, leg. corpori. lin. 20. pro fuerato, leg. fuerat. lin. 31. pro mani, lege magni. fac. b. lin. 11. pro remanentum, leg. remanentem. lin. 1. pro efficiente, leg. effectore. lin. 23. pro ut ipse, leg. res ipse. lin. 26. pro ut ipse, leg. re ipsa. lin. ultima. pro alterius, lege ulterius. Sub. C. pag. 1. lin. 1. ad pro & lin. 31. pro plus leg. plus. pag. 2. lin. 14. leg. soni pro soli. lin. 20. pro Dem. neas leg. nem. Fol. 3. lin. 31. pro alieq; lege aliosq;. pag. 4. lin. 35. pro quæ, lege quæ.



www.books2ebooks.eu